DECANUS
COLLEGII JCTORUM

IN ILLUSTRI ACADEMIA VVITTEBERGENSI

4.

SAMUEL STRYKIUS, JC.
SERENISSIMOR. ELECTOR. SAX. & BRAND. CONSILIARIUS & ANTECESSOR

AD

ORATIONEM SOLENNEM

CLARISSIMI CANDIDATI,

Dn. CHRISTOPHORI CAHLEIS,
Lesnitio-Schönburgiaci,

Futurâ Martis die Hora IX. matutinâ

De Regalib:

IN

AUDITORIO JCTORUM

HABENDAM

OMNES LITERARUM PATRONOS & CULTORES

INVITAT.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII, 1691.



Regalium nomen frequens admodum hodie est, & vulgo etiam notissimum. Quippe non in solis Regum, Principumque scriniis hæc ventilatur materies, sed ad inferiores etiam Dominos, feudi titulo, non pauca ex Regalium numero transiverunt. Qvod si initia horum Jurium inqvisiveris, vix certi quicquam asserere licebit. Non desunt quidem, qui ex ipsa Regiâ Lege *1. Sam. 8.* à summo regnorum conditore DEo præscripta, nec iniquitatis incusanda, nisi iniqvus accesserit interpres, Regalium arcessunt principia: Verum si omnia Legibus quæsita Jura Regalium nomine comprehendenda, à primis totius orbis Regibus repetenda forent incunabula. At vero hæc ipsa Majestatis jura sunt, quibus ante duo demum secula Regalium appellatio tributa, & ex eo tempore Politicorum libellos occupavit distinctio inter Regalia majora & minora. Sed eminentiora omnino sunt, Majestatica illa Principum Jura, ad ipsius Reipublicæ regimen, salutemque, belli pacisque tempore moderandam tendentia, quam ut vulgari Regalium vocabulo, non paucis Nobilium juribus communi, insigniantur. Illa ergo nostræ disquisitioni remanent Regalia, quæ Fisci vulgo dicunt compendia, & jam olim ab Abb. Urspergensi *ad Ann. 1109.* Regum Fiscalia nuncupata, quæ Principes in bonis quoque privatorum non raro sibi vindicant, quorum seriem enumeravit Fridericus Imp. *C. un. 2. Feud. 56. quæ sint Regal.* Horum sane principia obscura admodum sunt, & si verum fateri fas est, non nisi barbaris Regibus Imperii Romani hostibus atque de-

præ-

prædatoribus, belli quodam jure citra respectum salutis publicæ introducta. Quippe si Legum Romanarum providam dispositionem intueamur, tanta Populi Romani, imo ipsorum quoque Imperatorum, Monarchica licet libertate sine exemplo instructorum, non saltem in sibi subjectos, sed & armis subactos Cives clementia ac benignitas fuit, ut non facile quicquam sibi vindicaverint ex commodis privatorum, nisi legitimo quodam titulo, vel in pœnam commissi sceleris, res ad Fiscum devoluta. Nihil fere ex illis, quæ Regalibus annumeramus hodie, olim Principibus adscribebatur, sed unumquemque rebus suis juribusque frui libere permittebant. Venari in suo unicuivis indulgebatur, imo nec in alieno penitus interdictum erat. Aucupia patebant promiscue omnibus, & piscari in mari fluminibusque quilibet vi libertatis naturalis poterat. Nec reconditos sub terra thesauros sibi asserebat Fiscus, sed inventori, si loci publici ratio non obstaret, relinquebat integros. Reliqua etiam in terræ visceribus nata commoda eadem libertate percipiebantur. Unde metalla in proprio fundo inquirendi potestatem ille etiam habebat, cui fundi non dominium, sed ususfructus saltem competebat, *L. Fructus 7. §. 13. ff. solut. matrim. L. 9. §. 2. & 3. ff. de Usufr.* Nec in vilioribus metallis, sed auro pariter & argento id juris competebat. Poterat enim fundi usufructuarius auri & argenti fodinas instituere, vel quas dominus proprietatis instituisset, libere exercere, *L. 13. §. 5. ff. de usufr.* quæ & alia jura subterranea per compendium recenset Ulpianus *in L. 3. §. fin. ff. de rebus eor. qui sub tut.* dicendo: *si lapidicinas vel quæ alia metalla pupillus habuit, stypteriæ,* (quod alumen denotat παρὰ τὸ στύφειν, quod de illis dicitur, quæ, dum gustantur, linguam adstringunt, teste Dioscor.

Lib.

Lib. 5. cap. 123.) *vel cujus alterius materiæ* (Salinas addit *in l. 5. d. t.*) *vel si cretifodinas, argentifodinas, vel quid aliud huic simile*; quæ quidem verba restringit Paulus ICtus *in seq. L. 4. ff. de reb. cor.* his verbis: *quod tamen privatis licet possidere*; ex quo colligendum videbatur, non omnia subterranea tunc temporis privatorum arbitrio & moderamini supposita fuisse. Merito tamen Pauli verba ad argenti fodinas in locis publicis referenda: Hæc enim jam olim Principis erant ex veriori sententia, de qua Rebuff. *ad L. 17. §. 1. ff. de V. S.* Ex privatorum vero metallifodinis Principi præter canonem metallicum nihil præstabatur, reliqvum omne privati fodientes sibi vindicabant, *L. 3. C. de metall.* Verum libertas illa, naturali jure privatis tributa, & per Leges Romanas ipsis confirmata, cum Juribus aliis Regalium titulo ad Principes transiit, nec privatis quicquam remansit, nisi quantum indulgentia Principum ipsis concesserat. Aliena itaque à Jure Romano hujus generis Regalia sunt, nec Autores alios agnoscunt, nisi qui in perniciem Imperii Romani nati factique, Longobardos puta, mox devicta Italia belli quodam jure hæc & alia privatorum commoda, Gentium Civilique jure ipsis quæsita, sibi adscribentes. Ab eo tempore Regalium nomen invaluit, quamvis in feudorum consvetudinibus nuspiam usurpatum, & in ipsis Longobardorum legibus, quæ adhuc extant, fere semel tantum occurrat. Horum exemplo Impp. subsequentes eadem sibi vindicarunt jura, & ne vagus eorum numerus esset, à Friderico I. Imp. ut quidem videtur, qvamvis illa restrictio displiceat aliis, determinatus. Post Friderici discessum Impp. ubicumque tandem occasio se obtulit, irritamenta illa malorum, opes scilicet effodiendi, jus hoc sibi per mandata vindicarunt. Exemplum ejus rei exhibet Goldastus

Tom. 3. Conſt. Imper. p. 362. ubi Henricus VI. Imp. anno 1189. ad Epiſcopos Mindenſem, Paderbornenſem, Oſnabrugenſem, Comiteſque & Nobiles illarum Dioeceſium reſcripſit: *Cum omnis argentifodina ad Jura pertineat imperii, & ad regalia noſtra ſit computata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in Epiſcopatu Mindenſi dicitur inventa, ad noſtram totaliter ſpectet diſtributionem, unde in ea nulli hominum quicquam Juris recognoſcimus, niſi hoc à noſtra liberalitate valeat ſpecialiter impetrare.* Succeſſu temporis metallorum Jura ad Imperii Electores & Principes liberalitate Imperatorum devoluta, quorum quiſque in ſuis poſtea territoriis modum rebus metallicis præſcripſit, quouſque cives reliqui in conſortium hujus lucri admittendi ſint vel non. Verum enim vero, cum commoda hæc ſubterranea Principibus noſtris vindicata ſint, ipſorũ officio incumbit quam maxime, providere, ne ſub hoc prætextu penitus eripiant civibus agrorum ſuorum connata commoda. Quæſitum inde memini, an in Regalibus latior interpretatio, an ſtrictior ſit admittenda, de quo in caſu obveniente, an ſcil. Princeps Vaſallum in fundo ſuo fornacem calcariam exſtructurũ, cum huj⁹ generis lapides coctiles illic reperiret, prohibere poſſit, ſub prætextu Juris regalis metallici, graviſſime diſceptabatur. Equidem negari nequit, metallorum appellationem ſatis amplam eſſe, adeo, ut ex aliquorum ſententia omne commodum complectatur ſubterraneum. Aſt iniquior hæc viſa eſt ſententia: Ut enim ſupra aſſertum; Regalia fere omnia diminutionem quandam juris continent, quod antea populi erat, & vel ſpontanea civium abdicatione, vel armorum jure, vel denium præſcriptione Principibus quæſitum: Omnia vero hæc ſtrictiſſimæ interpretationis ſunt, imo odioſa pleraque,

ut ea propter illa commoda æquissime relinquantur civibus, quæ Principi in specie acquisita esse, non apparet. Contra autem nec permittendum civibus, ut illa, quæ Principibus semel acquisita sunt, invadant, vel fraudulenter circa illa in perniciem publicam versentur. Nullibi certe lætior fraudum seges est, quam circa ipsum Jus metallicum, & huic plerumque connexum Jus monetarium, quod in publico privatoque hodie quæstu est, imo eò prohdolor! improbis rei monetariæ operantium ausibus deventum, ut quod Principibus ne quidem per Leges Imperii licet, ipsi rei metallicæ monetariæque privati conductores cum insigni totius Imperii damno sibi vindicent. Qua de re innumeræ in Comitiis Imperii universalibus & Diætis Circularibus exaudiuntur querelæ. Et de hoc negotio dicturus est publice, cujus gratia hanc suscepimus scriptionem, Clarissimus noster Candidatus Dn. CHRISTOPHORUS CAHLEIS, de cujus natalibus studiisque more in Academiis recepto quædam edisserenda. Natus est ille Lesnicii, in oppido Schönburgico, Anno à nato Salvatore M DC LXVIII. die XVII. Junii. Patrem adhuc hodie superstitem habet Amplissimum Prudentissimumque Virum, Dn. CHRISTIANUM CAHLEIS, Consulem illius loci meritissimum, pariterque Mercatorem satis conspicuum. Mater ejus est à sexus sui dotibus Commendatissima Fœmina, REGINA ex HARZERIANA familia honestissima pariter & Clarissima sangvinem derivans. Ab his Parentibus honestissimis à prima infantia literis destinatus est Noster, & a quinto ætatis anno partim privatorum, partim publicorum Præceptorum informatione in humaniori literatura usus est; ubi grata adhuc memoria recolit fidelem Dn. M. LEHMANNI & CHRISTIANI PLATONIS, illius Rectoris, hujus ConRectoris in

Schola

Schola Annæbergenſi manuductionem, & inde ſibi partos ſtudiorum profectus, quos Anno MDC LXXXI. diſertiſſimus Gymnaſii Sittavienſis Rector Dn. WEISIUS per quadriennium integrum expolivit ulterius, & ad illam maturitatem deduxit, ut Anno M DC LXXXV. d. XXII. Maji illuſtris Philureæ Muſas ſalutare potuerit. Nactus ibi Præceptorem in Philoſophiæ ſtudio eſt, Theologum pariter & Philoſophum celebratiſſimum, ſumme Reverendum Dn. VALENTINUM ALBERTI, cujus auſpiciis Practicam Philoſophiam feliciter abſolvit. Jurisprudentiam vero hauſit ex ore Celeberrimorum & Excellentiſſimorum Virorum Dn. D. SCHWENDENDORFFERI, Dn. D. ANDREÆ MYLII, Dn. D. BERGERI, Dn. D. ITTIGII Dn. D. ROESNERI Dn. D. PHILIPPI, quibus Doctoribus ſingulas Juris privati & Feudalis partes abſolvit, pariterque Prælectiones publicas Illuſtris Dn. BORNII, ad Franciſci de Roye Jus Canonicum aſſidue frequentavit. Ne vero privati Juris Studio tantum ſe mancipaſſe videretur, Hiſtorias rerum in orbe geſtarum ad methodum Introductionis in Hiſtoriam Univerſalem Nobiliſſimi Dn. de Pufendorff hauſit ex ore Excellentiſſimorum Virorum Dn. RECHENBERGII, & Dn. FRANCKENSTEINII. Hiſce junxit Collegia Excellentiſſimi Dn. MENKENII ad Monzambanum de ſtatu Reipublicæ Romano-Germanicæ, nec non ad Lampadii ejusdem argumenti Tractatum, ex quorum Virorum inſigni doctrina ſe plurimum profeciſſe gratiſſima mente gloriatur. His ita abſolutis cum occaſio ſe commoda offerret, peregrinas viſendi regiones in comitatu Illuſtriſſimi cujusdam Patroni, non levi febricula, ſed ardentisſima correptus, per ſemeſtre integrum Lipſiæ ipſi decumbendum fuit, unde non vulgaria Studiorum impedimenta ſenſit. Poſtquam vero ſibi redditus, noluit à cœpto ſemel Studiorum curſu

desistere, hinc ad Academiam Viadrinam se contulit, ubi nostras non tantum Scholas frequentavit sedulo, sed & ab ore Nobilissimi & Excellentissimi Dn. PETRI SCHULTZII, JCti celeberrimi, Collegæ quondam nostri conjunctissimi, pependit, eundemque Dn. Schvvendendörfferi Actiones Forenses erudite exponentem audivit, & apud Consultissimum Dn. D. SCHöPFERUM, Lauterbachii Compendium Digestorum repetiit. Hisce junxit Prælectiones accuratissimas utilissimasque Celebratissimi Dn. D. BECMANI, ejusdem Academiæ in præsens Rectoris Magnifici, Fautoris nostri æstumatissimi, ad Hugonis Grotii de Jure belli & pacis Libros. Quibus feliciter expeditis Patriã repetiit, & in ejus proximique salutem impendere studia sua decrevit, initium facturus à perorandis Clientum causis. Cum vero saluberrima Constitutione Electorali Saxonicâ imposterum ad fori conflictus admittendus nemo, qui non publico Collegii Juridici testimonio fidem legalis scientiæ fecisset, ad Almam hanc se contulit, studiorum præmia petiturus. Eo fine nomen apud Collegium nostrum professus, & prævia accurata in profectus ejus inquisitione inter Candidatos receptus, facultasque ipsi facta, exantlatis reliquis speciminibus publicis ad Licentiam Doctoralem adspirandi. Quamobrem futura Martis die hora IX. ante meridiem, *De Defraudationibus Metallicis* in Auditorio JCtorum perorabit publice; post meridiem hora III. *L. De ætate 11. ff. de interrogationib. injur. fac.* Lectionibus cursoriis, illo & sequentibus diebus, expositurus. Huic instituto ut prolixo adfectu faveatis, præsentiamque vestram illustrem honorificamque Clarissimo Candidato concedatis, à Vobis, Magnifice Universitatis RECTOR, Perillustres Dn. BARONES, Excellentissimi Universitatis PROCERES, Civesq; Generosi & Nobilissimi, quo par est, obsequio & cultu rogo contendoque.

